



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. XI. Vtrum Theologia Scholastica sit utilis aut perniciosa Ecclesiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

nino doctrina, de qua S. Thomas art. 1. inquirat, utrum sit necessaria: articulis sequentibus quaerit, an sit scientia, sapientia, argumentativa &c. Sed hæc de sola Theologia, propriè & specificè sumpta, intelligi possunt: Ergo etiam in primo articulo, ubi agit de necessitate sacræ doctrinæ, per sacram doctrinam intelligit Theologiam propriè & specificè sumptam, non verò sacram doctrinam in communi, abstrahentem à fide & Theologia. Ut autem rationi dubitandi in contrarium supra adductæ satisfiat.

Observandum est, aliud esse Theologiam omnibus hominibus esse necessariam ad salutem, & aliud, necessarium esse omnes homines esse Theologos, ut salventur: sicut aliud est dicere, cuilibet in regno existenti, Princeps necessarius est, & aliud necessarium est cuilibet in regno existenti esse Regem: ad primum enim sufficit quemlibet in regno existentem, indigere gubernatione & administratione Principis, quod sicut verum esse potest, absque eo quod quilibet sit Rex, ita & potest esse verum, quod cuilibet fidei necessaria sit Theologia, quamvis non sit necessarium, quemlibet esse Theologum. Hoc supposito.

93. Ad rationem dubitandi respondetur, negando Theologiam non esse necessariam omnibus fidelibus, aut quòd fideles, sine Theologia, per solam fidem, possint sufficienter salutem æternam consequi. Ratio hujus est, quia sine Theologia impossibile est, loquendo juxta legem Dei ordinariam, conservari fidem in Ecclesia, aut quemquam ad fidem converti, vel in ea perseverare; ut enim ait Augustinus: *Per eam fides saluberrima in nobis gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*, quod (ut interpretatur D. Thomas) intelligendum est, *per modum exterioris persuasionis*: cum enim fides sit ex auditu & prædicatione, juxta illud ad Roman. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* rationes quibus Theologia ostendit rerum credendarum possibilitatem, credibilitatem, aut veritatem, & quibus contrarios errores impugnat, credendique impedimenta removet, plurimum conducunt, imò necessariae sunt, ut ordinario & connaturali modo, fides generetur, & nutriatur, firmaque & stabilis sit in illis qui eam susceperunt. Unde Ambrosius in illud Lucæ 5. *Laxate retia in capturam*, sic ait: *Quæ sunt Apostolorum quæ laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos quos ceperint non amittant?*

ARTICVLVS XI.

Virum Theologia Scholastica sit utilis aut perniciofa Ecclesiæ?

94. Hanc questionem movemus, ut hæreticorum refellamus insaniam, qui adeo à Theologia Scholastica abhorrent, ut eam non solum inutilem, sed etiam perniciosam Ecclesiæ dicant. Nam Philippus Melancthon in Apologia pro Lutero, ait Lutetiæ natam esse prophanam Scholasticam, eaque admisâ, Evangelium obscuratum, ac fidem extinctam fuisse. Ipse verò Lutherus in libro contra Jacobum Latomum, Theologiam Scholasticam, nihil aliud esse dixit, nisi inscitiam veritatis, inanemque fallaciam, quam ad Colof. 2. præcauere monet Apostolus.

Tom. I.

A Et in libro de abroganda Missa, Christianas Academias, in quibus ea traditur, vocat homo impurissimus, *Anti-Christi Lupanaria*. Easdem longe antea Wiclefus appellaverat, *Castra Cainitica*. Similiter Calvinus in suis institutionibus, Theologos Scholasticos passim vocat *Asinos cornutos, bestias bipedes, & Sophistas*, & eos velò Christum texisse, atque infinita mala Christianæ reipublicæ intulisse affirmat. Nec mirum, si lupi canes, & Ecclesiæ impugatores, ejus propugnatores, & fidei Atletas atque Atlantes, tam vehementi odio prosequantur.

Eisdem etiam Scholasticis valde infensum fuisse Iansenium, constat ex libro suo proœmiali, in quo quibuscumque potest modis, nititur eos in contemptum adducere; illos enim negligentia vel oscitantia in scriptis Sanctorum Patrum evolvendis, ignorantia crassæ in rebus fidei intelligendis, temeritatis & audacia in eisdem suo sensu explicandis, effrenata licentia in serendis quaestionibus inutilibus, de Angelorum principiis specificantibus, & individuantibus, de intelligendi speciebus, modo, duratione; de loco eorum, motu, operationibus, & similibus infinitis; aliorumque non vulgarium criminum reos facit.

Sed quis verè Catholicus, non audiat potius summos ipsos Pontifices, de Theologia Scholastica, ejusque Professoribus, ita loquentes, & universæ Ecclesiæ præscribentes: *Ad Theologicae professionis studium aliqui destinentur, qui cum edocti fuerint, in Dei Ecclesia, velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi Doctorum, qui velut stelle in perpetuas æternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire*. Quod statutum Honorij Papæ habetur insertum iuri Canonico, cap. *Suuper specula, de Magistris*. Quis etiam potius non aufertur Martinum I. in epist. ad Constantinum Imperat. dicentem: *Theologiam thui purum & eximium, & optimi odoris esse; myrrham conservatricem bonorum, & contrariorum expultricem doctrinam*. Quis Augustinum Ipremsensem præponat Hipponensium, dicenti lib. 2. de doctrina Christiana cap. 31. *Disputationis disciplina, ad omnia genera quaestionum, quæ in litteris sanctis sunt penetranda, & dissolvenda plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rivandi, & puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium*. Quis nesciat Theologos Scholasticos multum rempublicam Christianam juvasse, ad definiendas res fidei, & dissolvendas hæreticorum versutias & cavillationes? Quis denique ignoret in Conciliis œcumenicis, quæ post D. Thomam, Theologorum Scholasticorum Principem, congregata fuere, plurima decreta ex ejus libris fuisse desumpta; ut testatur Pius V. in Bulla quâ S.

D Thomam quintum Ecclesiæ Doctorem declaravit, & refert Cardinalis Baronius in notis ad martyrologium Romanum, septima die Martij. Id etiam eleganter declaratur in oratione habitata ad Patres Concilij Tridentini, quæ in actis ejusdem Concilij habetur, in ea enim dicitur: *Nulla ab ejus felici exitu Concilia, sine sacro Doctore celebrata fuisse, & ad illum velut ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut controversiæ exortum esset, communibus votis Patres Concilij voluisse referri*.

Majus aliquid narrat Didacus de Payva, Doctor Lusitanus, tomo 2. Sermonum de sanctis, ferm. 2. de S. Thoma: refert enim, ut testis oculatus, quod sessione 21. in qua statuitur do-

D ij

95.

96.

Erina de communione sub utraque specie, & parvulorum, visum fuit Legatis, opportunè decreto illi addi debere, tanquam rem omnibus notissimam & indubiam, Christum Dominum in ultima cœna, suos Apostolos in Sacerdotes ordinasse, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Re accuratè diuque discussâ, sententia illa Patrum animis iam infederat, præsto erant suffragia, cum nescio quis illorum palam testatus est, videri sibi D. Thomam sentire, Christum Dominum, verbis illis, nihil aliud ordinasse, quam quod Sacrosanctum illud Mysterium, in Passionis ejus memoriam celebraretur. Mirum! iussu Patrum affertur liber, notatur locus, discutitur, cumque varij variè eum interpretarentur, tantùm ponderis in Concilij lancem injectit sola D. Thomæ autoritas, vel etiam dubitata, ut placuerit Concilio potiùs decretum suspendere, quam aliquid definire, sensû D. Thomæ in illam rem nondum satis apertè cognitò. Dilatum ergo fuit iudicium, interimque de vera circa hoc S. Doctoris mente fuit disputatum; cumque tandem convenissent Patres in præfata assertione, nihil contra D. Thomæ sententiam definiri, sequenti sessione veritas fuit sancita. Ex quibus liquet, quam impudenter Hæretici, Theologiam Scholasticam, non solum inutilem, sed etiam perniciosam esse Ecclesiæ asseverent.

97. Neque illis faver, quod interdum SS. Patres dolent in Ecclesiam irrepsisse captiones sophisticas, ac pravum artificium Aristotelicæ artis, & hujus generis alia, velut Ægyptiacas quasdam plagas, ut loquitur Gregorius Nazianzenus, qui etiam deplorat illam disputandi de Deo rationem, quæ invaluerat ætate sua, quæque simplici & ingenua tractatione relicta, tortuosum & involutum dicendi genus invexerat. Similiterque Hieronymus non vult Evangelij Doctores humanæ ratiocinationis præsidij niti, *Quia* (inquit) *istiusmodi virga & baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, & manum transforat incumbens*. Et Tertullianus lib. de præscript. cap. 7. *Quid Athenis* (inquit) *& Hierosolymis? Quid Academia & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse traderat Dominum in simplicitate cordis esse querendum*.

Hæc inquam & similia, quibus hæretici abutuntur, non obsunt, quia SS. Patres in illis locis invehuntur solum contra illos, qui perperam arte syllogistica, & humana ratiocinatione utebantur ad Christianam fidem evertendam, & decipiendos minùs eruditos aut callidos: qualem fuisse Arrium, Eunomium, Aëtium, Pelagium, Iulianum, Abailardum, & similes antiquiores hæreticos, testantur Socrates lib. 1. historiæ cap. 5. Sosomenus lib. 1. cap. 1. Epiphanius hæresi 76. Gregorius Nissenus libro 1. contra Eunom. Ambrosius in Psal. 118. Augustinus lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum, Bernardus epist. 190. & alij. Vel solum intendunt, fidei, tanquam Principi & Domine, rectorique vitæ, ducatum: Philosophiæ verò, & humanæ ratiocinationi, famulatum duntaxat debere exhiberi, nec nisi ad fidei obsequium & subsidium, sæculares & prophanas scientias adhibendas esse: exemplò Abrahamæ, qui duplex inivit conjugium, alterum cum Sara uxore prima & præcipua, & alterum cum Agar ancilla; quarum illa divinæ sapientiæ

A typus erat, ista Philosophiæ. Et Saræ quidem amore præcipuo adhærebat, Agari verò ut ancilla duntaxat: sic enim Theologo faciendum esse, sapienter monet Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum, cavendumque ne ancilla nimio amore delectatus, Dominam, hoc est veram sapientiam, negligat.

ARTICVLVS XII.

Præcipua Theologiæ dotes, seu prærogatiuæ, breviter exponuntur.

B CVM primus discendi ardor nobilitas sit Magistri, ut ait Ambrosius, secundus studendi stimulus, dignitas est & præstantia artis vel disciplinæ, quam quilibet cupit ediscere: unde cum in præfatione hujus libri, de laudibus D. Thomæ Præceptoris nostri Angelici, plura dixerimus, superest ut hic pauca de dignitate Theologiæ inferamus, & præcipuas ejus dotes & prærogativas, breviter exponamus; ut ex illarum contemplatione, ad amorem & studium hujus divinæ scientiæ, Lectoris animus accendatur.

Prima ergo prærogativa Theologiæ sumitur ex objecti quod contemplatur præstantia: cum enim cæteræ scientiæ, de rebus creatis disserant, Theologia Deum tanquam proprium objectum, sicut aquila Solem, respicit & considerat, terrena cuncta despiciens, & creata omnia altitudine suâ transcendens: unde illa tota divina est, & quidquid in ea tractatur, divinitatem spirat, & ad Deum spectat, vel sicut proprietas ad naturam, vel sicut effectus ad causam, vel tanquam medium ad finem, ut ex supra dictis liquet.

Secunda petitur ex ratione sub qua tendit in suum objectum, quæ est veluti lux quæ cuncta de quibus disserit irradiantur, & manifestantur. Plura certè considerat Theologia, Angelos, cælos, elementa, homines, cæteraque sex dierum opera; divinæ naturæ relationes & attributa, Augustissimæ Triadis miranda, & Incarnationis secreta aperit, aliaque obscurissima fidei nostræ mysteria rimatur: sed omnia sub una ratione formalis, nimirum sub ratione divinæ veritatis, & sub lumine & radio divinæ revelationis, contemplatur. En tibi Theologiæ lucem: à luce autem omnis decor, venustas, & pulchritudo rebus accedit; ex hac syderum nitor, cæli splendor, terræ ornatus, totiusque mundi forma & venustissima species; ideoque hæc Deus primam omnium creavit, ut ex ejus radijs cuncta pulchrescerent. Vel ut dicit Hugo à S. Victore, *Primum fecit lumen, ut cætera omnia postmodum faceret in luce*.

E Tertia consistit in ejus certitudine, cum enim nedum rationis quæ falli potest, sed etiam fidei, & divinæ revelationis infallibilis, principiis ininitatur, & in ea suas conclusiones resolvat, omnium scientiarum naturalium, ipsiusque habitus primorum principiorum certitudinem transcendit, & scientiæ Dei & Beatorum firmitatem aliquo modo participat, ut antea demonstravimus. Nec obstat quod in varias & discordantes Scholas Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium dividatur; aliterque sentiant de prædestinatione, de gratiæ efficacia, de modo concurrendi cum causis secundis, de Sacramentorum virtute & efficientia, aliisque hujusmodi questionibus, Thomistæ, aliter Scotistæ, aliter Nominales,

Orat.
26.
Orat.
34.

In cap.
10. Mai.

98.
Lib. 2.
de Vir-
ginibus.

99.

100.

101.